

deferenda curabo. Mutuum vigere commercium jam sinet pax alma. Floram Zeylanicam, Hortum Upsaliensem, Materiam Medicam, Systema recusum et cætera a te edita nondum videre contigit; afferet, ut scribis, D. Missa, at quam sero venient. Tu meæ expectationi molestissimum frænum injicere voluisti, fortasse ut tuæ citius responderem, vota que solverem. Culpam fateor, me invito, elapsam; itaque digneris me antiquæ redintegrari amicitia.

Sed quid moror? Ecce nova panduntur orbi litterato miracula. Jam sæculo labente ultimo, innumera corpuscula in semine masculino observaverat, vitali motu donata, natantia, et in quolibet diversi marium generis liquore analogo anxie quæsierat, imo invenerat, sedulus et sincerus arcanorum Naturæ investigator Leeuwenhoekius, optimis adjuvatus microscopiis. Eadem corpora, animalculorum spermaticorum nomine insignita, ejusdem molis et figuræ, prorsus similia, pari motu agitata, progredientia veluti per æquora pisces, in spermate fœmineo, lentis vitreæ ope observavit demonstravitque D. De Buffon,* Regiæ Academiæ Socius, horti præfectus, physicis disquisitionibus clarus, historiæ naturalis studio et operibus præclarior. Hoc patefacto in viviparis animalibus, oculos convertit ad ovipara, volucrum genus omne, majora unde e tenebris suscitavit prodigia, dicam mysteria, captum humanum superantia; quæ quidem labore summo prosequitur, de iis alias locuturus. Spermatis fœminei latex visui non semper se prodit; sunt certa tempora, sua cuique animali lex data est, nec continuo marem appetit fœmina; itaque investigandus venit ille liquor dum œstro venerco percita, turbata, ludibunda, denique lasciviens currit undique fœminca gens; ludit, ejulat, anxia dolet, vulvam reserat rore perpetuo madefactam, conspurcatam, succuba impatiens; tunc ovaria seu testiculi sub crescentibus tuberculis immutantur quasi totidem mammillis succo plenis, apice fissis et hiantibus, e quibus postea pedetentim ejicitur semen requisitum manatque ad tubas uterinas. Res profecto stupendæ et quæ propagatam, ab animalculis spermaticis deductam, de generatione hypothesin penitus evertunt, necnon hominis primordia uti cæterorum animantium originem abstrusiori involvunt caligine.

Salutem plurimam accipias a carissimo fratre, fidelissimo D. Laserre et honestâ virgine D. Bassoporte, quæ alteram a te appellari uxorem summopere gloriatur. Valeas, totaque tua progenies bene valeat. Amare me pergas semper qui tibi devoto pectore nexus vivere lætor.

Parisiis die 30^a Januarii, anni 1749.

Musci Norvegici egregium specimen, Ceratoidis semina, tuæ erga me benevolentia munera, gratâ mente recordor.

* *Découverte de la Liqueur séminale dans les Femelles vivipares et du Reservoir qui la contient*, par M. de Buffon; dans les *Mém. de l'Acad. Roy. des Sciences* pour l'année 1748.